

optime intelligi posse Scripturam Sacram, quae minima cognatione eandem attingunt. Nemini uero uerti poterat uitio, qui res gestas ex illius gentis historia et explicaret et confirmaret, ad quam praecipue pertinebant. Quare nec incommodum fore, mihi uisum fuit, primi si MARTYRIS violentum mortis genus, e statutis et legibus Iudeorum, in STEPHANI condemnatione et neglectis et turbatis exponerem. Iudei non solum cognoscendis in rebus, quae ad Summi Numinis cultum pertinebant, sed etiam in iis, quae ad ciuilia negotia, et ad ea in primis spectabant, quae in foro cum reo et accusatore peragebantur, prae omnibus aliis populis singularem Dei gratiam et beneuolentiam experiebantur. Si igitur dicti diuini, a) quod poenam testibus iniquitatis praescribit, memores esse, et ea, quae illis in statutis ac legibus suis definita erant, obseruare uoluissent, innocentiam STEPHANI, omnibus probis notam, optime cognoscere potuissent. Sed hic pius religiosissimusque nominis diuini cultor, primus gloriam Sospi ratoris sui morte et sanguine suo amplificans, omne id expertus est, quod Christus singulis discipulis, et Apostolis, prius quam diem obiret supremum, est uaticinatus, inquiens: b) παραδωσθε γαρ υμας εις συνε δησια και εν τας συναγωγης αυτων μαρτυρωσθετον υμας. Nam historia STEPHANI, et uiolentum mortis genus, quo illum multarunt, si cum statutis et legibus Iudeorum, in Talmudis tractatu, סנהדרין dito, conscriptis confertur, et rite accurateque ab omnibus consideratur, magnum praebet testimonium, Iudices Ebraeos in STEPHANO condemnando nec mandatis diuinis, nec suis legibus morem gessisse. Cum uero de hac nobili simulque difficulti et ardua materia uerba facere, apud animum

a) Deut. XIX, 15: 19. et Leu. XXIV, 11. 14.

b) Matth. X, 17.